



Witob.

Ex prisco ueterum more
FORMULA
AΞΙΟΣ

Reverendo admodum, Amplissimo, atque Praecellentissimo
Viro,

DN. IOANNI HENRICO
A SEELEN,

Gymnasii Lubecensis Rectori

de studiosa iuuentute, & re litteraria insigniter merito,

Fautori suo coniunctissimo,

ob reportatum ex merito

LICENTIATI
IN THEOLOGIA
Gradum

pietatem suam, & observantiam

interpretatur

CASPAR HENRIC. STARCKIUS,
Pastor Siebenbäumens.

LVBECAE, OPERIS KOOPIANIS,



VIR
Admodum Reverende, Amplissime,
atque Praecellentissime.



Uo feror in eos, quibuscum arctior mihi intercedit usus, sincero adfectu, ut, quoties auspicato res suas, prospereque, & ex sententia agere uideo, congaudeam illorum felicitati impense, ac singularis inde intra animum uoluptatis causam capiam, atque occasionem, hunc iniurius

sim in nostram vtriusque tot annis firmatam consuetudinem, nisi & Tibi qualicumque documento,

non mihi, quam fratri frater, amate minus, uel principe ante alios loco, Tuo quodam proprio, & peculiari ueluti iure faciam testatum. Eo hodie protulisti laudem Tuam, eo assidua mentis contentione, aestuque, quo totum Te haecenus solidiori eruditioni transcripsisti, es enisus, ut ad *Licentiatum*, quem adpellant, in Theologia gradum fuerit Tibi ab iis, quorum est dispensare uirtutis brabea, admitti integrum. Vnde quemadmodum quemque in spem oportet ingredi certissimam, fore, ut largus ad puriorem ecclesiam aliquando redeat fructus, ita nec mihi fas est aliam de Te publice profiteri opinionem, & ad eorum, qui bene cupiunt honori Tuo, societatem non accedere. Postulat id potius, quo colo Te, & obseruo, addictissimum studium meum, huic ut deesse officio sine manifesto crimine neuiquam mihi liceat. Quod si tenue fortasse nimis sit, ac impolitum, & stili destitutum elegantia, non laborandum mihi multum censeo, ut sollicita Tibi adprobem ueniae conciliatione, cuius contumelia haud dubie afficerem perspectam usque quaque summam humanitatem, si operosior, quasi gratiam abs Te non ineat, praeterquam phalerata gratulatio, irem excusatum.

Tem

Tempestiue autem, in eo dum occupor, succurrit mihi, quem antiquitatum scrutatores ab omni retro aeuo Hebraeis, Graecis, Romanis, & quibus non praeterea gentibus, receptum longo usu fuisse fidem passim faciunt, adclamandi uiris bene meritis peruetustus, nec uituperandus profum; meo quidem iudicio, ritus. Auctoritates, quibus sua illi constet explorata ueritas, etsi nullo possem, aut facili negotio, uel eo uacat in hanc rem cumulare minus, quo angustior est epistola, ac uniuersam, qui persequuti sunt istud argumentum, doctorum cohortem producere in aciem negat in praesenti. (a) Eadem pariter prohibet, quam praefixi mihi, scriptionis breuitas, longum ut ne referam, quidnam adclamations inter, & plausus interfit, quantoque inuicem distinguantur interuallo, secus atque multis, ex criticorum etiam collegio, frequens esse constat, qui impingunt hic parum adcurati, & iusto neglecto discrimine permiscet promiscue seiungenda, ac vno utraque loco, pari in censu habent. (b) Ut sciens

A 3

haec

(a) Sitim hic explebit, qui copiosus est in adlegendis huius farinae auctoribus, ad seculi nostri gloriam & felicitatem referendus Io. Albert. Fabricius *Bibliographia Antiquar.* p. edit. secundae 380. sqq.

(b) V. Bernardin. Ferrarius de ritu sacrar. ecclesiae ueter. concionum

haec praeteream cum personis, quas excipere istiusmodi adclamationibus quondam fuit solemne, caesaribus, ducibus belli, ecclesiae doctoribus, patronis causarum, senatoribus, sophistis, oratoribus, comoedis, nouis nuptis, &c. atque ad ipsas confestim formulas recto pede progrediar, citius quis

Myrmecum populos numeret, Libyaeque cicadas, singulas quam ut edisserere, & absoluto penitus, plenoque, & perfecto concludere catalogo ausit. His uoces: *Bene, & praeclare; Belle, & festine; Non potest melius* usurpatae legas, illos deprehendas substituisse: *Diuinitus; Diuino instinctu; Incomparabiliter*, alios beneuolentiae, adensusque fecisse obserues indicia: *Καλῶς; Σοφῶς; Ἀληθῶς*, rursum alios: *Feliciter*, non paucos quoque: *Deo gratias; Bene meritis; Bene dignus* in laudationis adhibuisse testimonium animaduertas. Nec foret uel difficile, uel a nostro alienum proposito, nisi nimis prolixum, istas, ac quotquot insuper eruditorum adnotauit diligentia, (c) id genus adclamandi formulas alias opportune huc uocare in partes, & citra

num p. 292. Acerra Philologic. quae Halac Magdeburg. prodit, P. X. p. 573. &c.

(c) Philipp. Caroli Animaduersion. in Agellium, & Curtium p. 283. Iac. Goetten. loc. citand. & alii.

citra adsentationis turpe vitium, qua meam nolim, perinde, ut adulatorum olim plurimi, contaminari in Te pietatem, Tuo perquam adposite adcommo- dare honori. At enim uero non eo iam placet me diffundere; sola ex denso earum agmine pro instituti modulo formula: "Αἴσιος placet, quam aut fallor totus, aut conuenienter admodum, ipsa siue indignante, siue suffragante mihi inuidia, deberi Tibi ex merito, quando *Licentiati* legitime titulum capessis, sum apud animum omnino persuasus.

Ab ea etiam frustra me mente dimouerit, quod episcopis aequae, ac imperatori Constantinopolitano, illis per ordinationem, huic per coronationem in munus suum immittendis, propriam tantum non formulam isthanc anteriori aetate fuisse vno pluribus euincat exemplis nostras *Iacobus Goettenius. Philostorgus*, ita uirum praestantem, & non ordinis saltem sui, sed Lubecae etiam meae ornamentum non quotidianum, audire iuuat, qui sub *Theodosio iuniore* floruit, *Hist. eccles. lib. 9. cap. 10. edit. Genem. a Iacobo Gothofredo, ostendit, in ordinatione Demophilii episcopi acclamatum fuisse illud solemne "Αἴσιος. Clarissimus Gothofredus in notis ad h. l. Philostorgi*

ex Photii Politia Patrum pag. 1413. exemplum addit aliud de ordinatione Alexandri Constantinopol. καὶ ὁ λαὸς μιᾷ φωνῇ σὺν αὐτῷ βασιλεῖ ἐπὶ πλείους ὥρας ἐβόα τὸ Ἄξιος. (τὸ Ἄξιος itidem acclamari in coronatione imperatori Constantinopolitano, testis est Georgius Codinus de offic. eccles. Ἐκκλ. Constantinop. cap. 17. n. 22. pag. 22. edit. Paris. ab A. C. 1625.) Iacobus Goar. ordin. FF. Praedicatorum in εὐχολ. s. rituali Graecorum, in quo multa, alias non observata, legas, Graeco, Ἐκκλ. Latino e regione idiomate expressa, interque alia ritum iam notatum indicat, Ἐκκλ. S. Eutychio in presbyterum subuehendo cunctos proclamasse **DIGNVS EST, DIGNVS EST**, ex Metaphraste apud Surium d. 6. Aprilis. Huc refer, quod de Fabiano, postea episcopo Romano, narrat Eusebius l. 6. H. E. cap. 28, populum uno spiritu Ἐκκλ. animo in electione Fabianum **DIGNVM** episcopatu proclamasse. Ex aduerso vero, pergit Iacobus Goar, si obtento gradu quempiam priuari contigerit, **INDIGNVM**, Ἀνάξιον ex anti-
quo

quo more proclamabant Graeci, qua ignominia ex iniquo iudicio mulctatus est S. Ignatius, &c. (d) His quanquam calculum lubens adiicio, nec adeo sum amens, vt refragari temere sustineam, an tamen adstrictam propterea ita, & adligatam ad istorum conditionem quispiam existimet formulam: Ἄξιος, neminem praeter hos vt amplius admittat in consortium, reliquos omnes, meritis licet in rem, qua sacram, qua ciuilem insignes, arceat quasi inde, & tanquam incapaces faustae huius adclamationis excludat? Num inferiores iis, aut deterioris fortis fuerint habendi, qui improbo conatu, uigiliis, sedulitate multa, pertinaci in studia ardore, laboribus & exercitiis ceteris tam se deuouerunt communi utilitati solerter, vt dignos, qui licentiam consequantur summos adeundi in Theologia honores, ipsi ex uero iudicent Academiae patres conscripti?

Non illorum patrocinator affectatae nominis celebritati, aut locum hic inter formulae: Ἄξιος candidos indulgeo, quos uana tantopere stimulat ambitio, inscitiae saltem suae vt dignitatem praetexant, & quum artium uix semitam calcauerint, illico nihilo secius gradus aucupentur Academicos, fumis de-
B de-

delectati titulorum, dummodo ipsis cedant in sapientiam. Facetum profecto hominum genus, quorum non abs re in praematuris adpetendis honoribus supercilium tusim *Plauto* mouerit:

Opus face est, & uiatice ad tuum nomen, ut tu praedicas. (e)

Magnificum utique semper, & praeclarum putavi *Alexandri M.* consilium, quo regnum moriturus destinabat non nisi *dignissimo*, (f) & qui haud absimili alibi ratione hunc imitatus legitur, sapiens oppido *Augusti* factum, nunquam filios commendantis populo, ut non adderet: *Si merebuntur.* (g) Ad hanc se componere decebat cynosuram, qui non aequè ita feliciter, ac uelociter ad *Ἀξιόπιστα* properant Academica, *Ἀξιοί* etiam ut essent, & debitam ad titulos dexteritatem adferrent. Sed istos quidem inspicere, tanquam in speculum, mores Tuos, *amicissime Faator*, iubeo.

Nil Tibi cum iis quidquam est commercii, qui mer-

(e) Trinummi. Act. IV. Scen. II. v. 45.

(f) Ita Iustinus Historiar. L. XII. Cap. XV. p. m. 146. cuius uero loco uocem: *Optimus* habet Curtius, quam praeferunt etiam aliqui ea de causa, quod heredem constituere uoluerit Alexander M. non, qui maxime *dignus* foret imperio, sed qui fortior, & regnum occupaturus. V. edition. Curtii cum not. uarior. p. 717. sq. not.

(g) Sueton. L. II. c. 56, p. m. (ed. cum not. var.) 244.

cantur honores, ut non mereantur. Testimonio gradum adeptus *Licentiati*, non pretio, aut foeda adductus ad praesandum cupiditate gloriae, *Hermannii* Tibi potes *Hamelmannii* uerba uindicare, quibus impactum sibi in Lemgouienſi colloquio abs erudito quodam e Lucelburgensibus uiro factum, quod nomen sibi temere *Licentiati* arrogaret, quum Christus dicat: *Vnus est magister, nolite adpellari magistri*, ita A. MDLXVI represſit: *Quod obiicis arrogantiam, facis ex tuo affectu.* Christus ait: *Vnus magister, ut intelligatur, nos omnes pendere ab illo uno. Nonisti, requirere Paulum tam a diacono, quam episcopo, ut ab exteris honestum habeat testimonium.* Cum ergo mihi usurpo istum titulum *Licentiati Theologiae*, ostendo, me a piis, & celebratissimis ecclesiarum doctoribus, & Academiis, quae matrices, & seminaria ecclesiae Dei sunt, honestum habere testimonium. (h) Ab eiusmodi & Tu uenerandis Academiae Rostochiensis doctoribus, Theologis cum optimis quibusque ob zelum in tuenda fidei salutaris integritate olim ut olim comparandis, postquam pericula sustinuiſti omnia, & iis, quae summe reuerendae facultatis requirunt statuta, abunde fecisti satis, habitus

(h) Io. Henric. Feustking. Histor. colloquii Ieuerens. p. 64. sq.

bitus es *dignus*, cui amplissima deferrentur *Licentiatæ* insignia. Iuxta cum his non *dignum* Te minus ostenderunt oblata publicæ uentilationi à Te bina specimina, & ab argumenti nobilioris selectu, & a studio pietatis quam maxime commendanda, *dignum*, quibus nominis Tui late famam sparsisti, ingenii monumenta reliqua, *dignum* denique vniuersa, cui liquido doctrinam probasti, concio Academica, Tuorum in sanctiori disciplina profectuum testis.

Omnia igitur quandoquidem honorem huncce Tuum bonorum sequuntur uota atque adclamationes, & ego pariter Tibi formulam: Ἄξιός calidissimo e pectore confecro, Deumque conceptissimis posco precibus, ut ad arbitrium Te porro præstet felicem, fospitem, incolumem, donaque Tua egregia exulcerato hoc seculo, quo religionum fucata concordia ueram religionem in exilium uidetur actura, in ecclesiae prouehat solatium longius, longiusque, & honoris aequæ, ac prosperitatis subinde vberima Te augeat accessione.

Deproperabam cum salutis, & officiorum prolixo commentario in museo VIII. Iduum
Septembr. MDCCXXV.

